



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Venatio Sacra. Sive Puer Amissus

Cabilliau, Baudouin

Lovany, 1642

Elegia Qvinta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70011)

Et quoniam Saræ mitis nurus excipit iras,
Hinc Agar in sævum crimen Erinnya agit.

ELEGIA QUINTA.

1. Indignatur se familiã Abrabæ & toro de-
pelli.
2. Primas enarrat Abrabæ ex Ismaële delicias.
3. Suam inde felicitatem depradicat.
4. Quam Saræ invidia conqueritur corrumpi.

Ergone me scelerata viri periuria ? parrus
Tristibus ærumnis sic an emenda fides ?
Et mihi iura tori sic abdicat vltima coniux
Cui sacra coniugij præmia prima dedi ?
Nonne sacris pepigere focis responsa Tonanti
Hac in prole suis nobile germen auis ?
Sed nisi promittunt vbi spes promissa fidesque ?
Auolat in surdos, vocis vt aura, notos,
Nec memor vlla spei superest, nec cura labori
Quem grauido inclusit Luna nouena sinu.
Quid querar ærumnas & acerba piacula partus
Gignat vt huic patri gaudia prima dolor ?
Hos an me miseram fors dira referuat in vsus,
Ne thalami dulci fas sit honore frui ?
Sæpè pater si quando pependit ab vbere, Gnatum
Abstulit, & lacrymans oscula sæpè dedit.
Non tædebat onus modò dulce quod hæserat vlnis,
Nunc etiam patrio sustinuisse geau.
Nec puduit (puerum nunc de sene crede parentem)
Balbo cum puero murmura balba loqui.
Tum vox vna fuit: debes mihi Gnare nepotes,
Quæque mihi dederis gaudia sæpè dabis,
Sæpè sponndit amans felicitis & omnia vitæ,
Qualia fœcundâ coniuge spondet hymen.

Sæpè

Sæpe femur tangens, vbi spem sua Sara fefellit,
 Sanxit vt hic hæres cerneret vnus opes.
 Tum tener adrisit placido quid dulce parenti
 Paruulus hic hæres: firmat id omen hymen.
 Cui patet adridens illas, en accipe, bullas.
 Manus habe magni parue parentis honos.
 Tuta tibi longo fiducia crescit ab vsu.
 Sic equidem rebar. spes rata sæpè fuit.
 Abramidum spem prima dedi pignusque nepotum,
 Spondebatque nouum spes decus Abramidis.
 Nec spes casta fide recidit, sed rescidit alas
 Liuor, & ab stygijs tristis Erinny's aquis.
 In sterili dum Sara toro gemit irrita voti,
 Quas non in furias tum furor ater agit?
 Hæc comes vxor erat, dos est vxoria liuor,
 Si socio coniux sit geminata toro.
 Obsequio quoties volui lenire furorem,
 Obsequij toties præmia dura tuli.
 Obsequium flectit dociles ad fræna quadrigas:
 Obsequium frangit ad iuga panda boues.
 Obsequium prius indomitos mitescere pardos
 Imperat, imperio subdit & vrsa caput.
 Obsequium quid non blandis expugnat in armis?
 Nec tamen obsequijs est Sara victa meis.
 Sed quid vana queror? quisquis pius vberè dono
 Cuncta dat ingrato, tum sibi cuncta negat.

ELEGIA SEXTA.

1. Ostendit canes, arbores & conseruas suo ingemiscere exsilio vbi domo egreditur.
2. Per omnia sacra obtestatur ne se abs se dimittat cum filio.
3. Se omni purgat crimine.

Ibimus